

/ Illustrissime Domine. Accepi litteras Reverendissimae Amplitudinis Vestrae, quibus valde reprehenditur Robertus Nobilis, quasi novam doctrinam invehere velit in istas Regiones. Et quidem si omnes alii, qui ex India ad nos scribunt, idem dicerent: non dubitarem
5 illum graviter accusare: sed habeo non paucas epistolas aliorum, qui contra sentiunt, et supra modum eum laudant, quod magno labore, et studio libros Brachmanum legerit: et qui ab aliis censentur esse ritus falsae religionis, revera esse ritus nobilitatis, ac per hoc non impedire conversionem ad veram religionem, quae sola est christiana, et catholica religio. Utrum autem res ita se habeat, ut P. Robertus censet: aut non ita se habeat, et P. Robertus decipiatur; non est meum judicare: sed Apostolica Sedes, lectis multorum litteris, quae huc missae sunt, et auditis consiliis sapientium consultorum, declarabit, quae sit veritas. Et si quidem reprobabit P. Roberti sententiam;
15 cessabunt Brachamanes admitti ad sacrum baptismum, nisi signa sua dimittant; sin autem approbabit sententiam P. Roberti: facilius erit conversio Brachmanum. Haec mihi interim occurrebant, quae scriberem Illustrissimae D. Vestrae: cujus me sanctis precibus humiliter commendo. Romae 22. Decembris 1620.
